

realia declarat; et haec Metaphysica pars quae versatur circa varia haec entia realia, nempe circa mundum, hominem et Deum, nuncupatur *Metaphysica specialis*, quae in tres disciplinas inferiores subdividitur:

1^o Prout considerat ea de mundo materiali, prae-
sione mentali, *generalia* sunt, seu abstractione mentis
immaterialiter spectantur, Metaphysica specialis dicitur
Cosmologia, cuius proinde objectum est ipsa natura corporis
incorporeo modo spectata, id est prout rationi, et
non sensibus se patefacit. Igitur Cosmologia a Physica
distinguitur, in quantum haec considerat mundum corporum
prout sensibus appareat, dum illa nullatenus ex-
aminat id praeceps quod sensibus appetat.

2^o Prout Metaphysica specialis circa animam humanam
versatur, quae est ens natura sua immateriale, nuncupatur
Psychologia.

3^o Denique prout de Deo ipso disserit, qui a qualibet
concretione materiali quam maximè recedit, Metaphysica
specialis appellatur *Theologia*.

Ergo inferiores disciplinae in quas distribuitur Meta-
physica sunt: 1^o Ontologia, 2^o Cosmologia, 3^o Psycho-
logia, 4^o Theologia.

Ex hac enumeratione patescit Metaphysicam generatim
inspectam stricte describi posse: *scientia qua ex rerum
rationib[us] diversimodè ultimis, eas prosequitur qua cel[us]
vel mente tantum a materia sunt magis abstracte seu
sensus transpreduntur*.

In prima definitionis parte, quae locum generis tenet,
diximus: ex rerum rationib[us] ultimis, quia Metaphysica
est quadam pars Philosophiae quae ultimas rerum ratio-
nes (3) considerat.

In secunda parte dicitur: *eas (rationes ultimas) prose-
quuntur qua cel[us] vel mente tantum a materia sunt magis
abstracte*, seu magis remota; et haec pars differentiat
proximam exhibet. Rationes quae reapsè seu natura sua a
materia abstractunt, objectum Theologie et Psychologiae
constituent, dum rationes que *mente tantum* a materia
sunt abstracta, constitutum objectum Cosmologie. Deni-
que objectum Ontologie rationibus his coalescit quae etiam
mentis praecepsione a rebus *omnibus*, sive corporeis sive

METAPHYSICA

PROLOGUS.

261. — *Metsphysica*, juxta vim vocis (*μετὰ τὰ φυσικά*),
item sonat ac *post physica seu ultra physica*. Ita ab Aristotele vel ab ejus discipulis nuncupata fuit, tum quia
ordine acquisitionis post scientiam rerum materialium
venit, seu *Physica* succedit, tum ex eo quod eius objectum
naturam sensibilem seu ordinem rerum *physicorum*
superat.

Secunda nominis interpretatio definitionem realem
exhibet: res enim quae a veteribus dicebantur *physicae*,
et sunt que a sensibus attingi possunt, nempe res *ma-
teriales*. Hinc objectum Metaphysicae constituent res quae
non sunt materiales, seu que absque materia aut existunt
aut saltem abstractione mentis conceipiuntur. Objectum
ergo Physice sunt res omnes materiales, et objectum
Metaphysicae sunt res *aut per se, aut mentis abstractione*
immateriale, que propterea sunt rationes altissimae et
nobilissimae.

262. — Illud ens immateriale considerari potest; 1^o Ge-
neratim, nempe prout intelligitur de rationibus rerum
ultimis que mentis praecepsione a rebus omnibus abstra-
hantur. Disciplina particularis que circa ens immateriale
sio inspectum versatur, nuncupari solet *Metaphysica gene-
ralis seu Ontologia*.

2^o Potest considerari speciatim, scilicet quatenus entia

incorporeis, abstrahuntur. Inde in definitione diximus *diversimodè ultimus*.

263. — Ab Ontologia exordiemur; haec enim disciplina notiones generaliores considerat, quae sunt principia aliarum disciplinarum. Præterea Metaphysica specialis exordium dicit a Cosmologia, seu a crassioribus et magis patentibus; et gradum facientes ab imperfectioribus ad perfectiora, assurgemus 2º ad Psychologiam, et denique 3º ad Theologiam naturalem, seu ad sublimiora.

METAPHYSICA GENERALIS

SEU ONTOLOGIA

263. — Metaphysica generalis, ut diximus, versatur circa ens in genere, seu universalissimas perpendit ratios quae ad notiōnēm entis reductantur, ut eas distinctas reddat, et idcirco *Ontologia, nimirum scientia de ente nuncupatur* (*λογικὴ τοῦ οὐρανοῦ*).

Janverò ut ad hanc scientiam ordinatum aggrediamur, primum considerare debemus ipsum conceptum entis. Deinde, communibus entis affectionibus perspectis que ens ipsum primitus afficiunt, suprema entium genera, nempe generaliorem entis divisionem considerabimus. Postea agemus de causis, nempe de ente, prout vim agendi seu efficiendi habet. Denique ultimo loco ad specialiorem entis cognitionem deveniemus, considerando varias entium perfectiones quibus entia ipsa in diversas classes distribuantur. Hinc Ontologiam distribuemus in quinque capita :

Caput primum erit de ente in genere; secundum, de communibus entis perfectionibus : tertium, de supremis entium generibus ; quartum, de causis ; tandem quintum, de specialibus entium perfectionib⁹ s. Et sic absolvemus

totam hanc materiam, a simplicioribus et magis indeterminatis exordiendo, ut ad specialiora et magis determinata deveniamus.

CAPUT I.

DE ENTE IN COMMUNI.

265. — In hoc capite, considerabimus *quid sit ens*, seu quomodo a nobis concepi possit. Præterea agemus de eo quod primò de ente concipiatur, seu de *essentia*. Tandem ultimo loco, disseremus de duplice statu entis, nimirum de *existentiā et possibiliter*; cum enim ens aliquam realitatem vee actu habeat vel saltem habere possit, fit ut prima entis divisio ea sit qua partitur in ens in *actu et ens in potentia*.

Igitur primum caput in tres articulos distribuemus : articulus primus tractat de conceptu entis ; secundus de essentia ; tertius de existentia et possibilitate.

ARTICULUS. I.

De conceptu entis.

1. Quid sit ens?

266. — I. Entis conceptus ita est clarus ut definitione non egeat, et ita simplex et abstractus, ut propriè definiiri non possit.

1. *Propriè definiiri non potest.* Quilibet definitio propria fit per enumerationem essentialium notarum quibus res coalescit, ac proinde per notiones universaliores et abstractiores re definienda. Atqui conceptus entis, quantum universalissimus et abstractissimus, alias pluribus non coalescit (53, 107, 3º), ac proinde non potest resolvi in notiones simpliciores et magis abstractas. Ergo ens in communione propriè definiiri nequit.

2º *Non egit definitione*, ut diximus, propter maximam perspicuitatem sui conceptus, qui est omnium clarissimus.

2º. — Verumtamen declarari potest in quo ens ratio consistat, seu quid entis nomine et conceptu veniat.

Ens derivatur a verbo *sum*, estque participium ejus: sed non tantum in vi participi, verum etiam in vi nominis sumitur: et hie vox entis sumitur in vi nominis. Per ens ergo intelligitur id quod habet esse, nempe aut *existentiam* simpliciter, aut *realitatem aliquam*. Ente igitur duo significantur: 1^o Id quod existit; 2^o Id quod habet aliquam realitatem. In hac secundum generaliori significacione, sub qua potissimum consideratur in Ontologia, idem est actus. Ens ergo seu res dicitur 1^o de rebus existentibus que actu realitatem habent, 2^o per analogiam attributionis de his que existerre possunt; sed formaliter abstracta a possibiliitate vel existentia. Id enim quod primo de ente cognoscimus est *existentia*, et secundum, ipsa *possibilitas*, que ope abstractionis et reflexionis detegitur.

Ens quod est objectum proprium intellectus, est objectum *materiale* conceptuum; nam quidquid est, intelligibilis est, et tantum intelligibile est, quantum est. Verum tamen non semper et in omnibus est objectum *formale* intellectus, secus nihil aliud perciperemus in rebus nisi rationem indeterminatam realitatis.

Dupliciter est entis conceptus, *directus* scilicet et *reflexus*. Directus confusus manet quoad suam extensionem, ac prior castoris omnibus formatur, ut postea dicemus. Reflexus, qui ope abstractionis comparativa formatur, est posterior castoris, et de hoc in praesens agitur.

268. — II. Circa *valorem objectivam* conceptus entis, hoc tenendum est: Conceptus entis valorem objectivum habet quoad id quod exprimit, non quoad universalitatem sub qua illud exprimit. Prima pars, que assertur contra Kantium, remanet probata ex dictis in Logica critica, altera, que impugnat Pantheistas et Ontologos, vindicabitur in Metaphysica speciali.

268 bis. — III. Sed, his premissis, queritur quomodo conceptus entis ad conceptus inferiores se habeat?

Conceptus *formalis* proprius et adequatus entis, ut sic, est unus re ratione precius ab aliis conceptibus formalibus aliarum rerum et objectorum. Et huius respondet conceptus *objectivus* qui expresse non dicit tale vel tales ens, sed omnia entia per modum unius, scilicet quantum

sunt inter se aliquo modo similia, seu convenient in essendo. Itaque

269. — THESIS I. *Ratio entis non est generica.*

Probatur. Ratio generica debet esse simpliciter eadem in omnibus inferioribus, et differre a qualibet differentia specifica illi adiecta. Atqui ratio entis 1^o non est simpliciter eadem in omnibus suis inferioribus; 2^o non differt a variis differentiis specificis. Ergo notio entis non potest dici generica.

Major est inconclusa; notio generica, v. g. in homine notio animalis, est eadem in omnibus animalibus; sed differt a notione rationalis que illi est adventitia, in modo ab ipsa diversa:

Ad minorem: 1^o Notioni entis non respondet eadem omnino ratio entitatis in omnibus inferioribus; nam haec notio convenit omnibus rebus: substantia et accidenti, causa et effectui, infinito et finito, etc., seu rebus realiter diversis. Ergo non est eadem ratio objectiva respondens conceptui entis, ac proinde ratio entis non est simpliciter eadem in diversis inferioribus.

2^o Non differt etiam a *differentia specifica*; nam ens generalissime sumptum dicitur de omnibus entitatibus, sicut de qualibet genere, ac proinde nunquam determinari potest per adjectiōnem notiosis adventitiis. Ergo non est generica.

Cor. Conceptus objectivus entis, prout in *re ipsa existit*, non est aliquid ex natura rei distinctum et praeicum ab inferioribus in quibus existit. Est tamen *secundum rationem* ab omnibus particularibus seu membris dividentibus em distinctus.

270. — THESIS II. *Conceptus entis, tum formalis tum objectivus, est conceptus analogus, analogia attributio- nis sui generis.*

Probatur. Analogia in conceptibus in hoc consistit ut aliqui notiones non respondent nisi ratio diversa entitatis cum aliqua tamen similitudine; exquirit enim 1^o unum conceptum, 2^o diversam rationem entitatis in rebus hoc conceptu designatis (31, 1^o). Est aliqua relatio similitu-

dinis inter realitates eodem nomine designatas; v. g.: notio *pedis*, quæ dicitur de pede animalis, columnæ et montis, est analoga. Vox *sauvum* que tribui potest echo, medicina, vultus colori, etc., est nomen analogum.

Hac analogia dicunt *attributionis*, quia analogia relationem aut proportionem habent, nec diversimodè, ad unum ex analogis, quod intrinsecus habet formam vocis significat; v. g.: in datis exemplis, *pes animalis*, *animal sauvum* sibi intrinsecam habent formam vocis significat.

Atqui conceptus entis ita est unus ut tamen ratio objectiva entitatis non sit una in omnibus quæ sub entis notione comprehendendatur, licet inter haec omnia sit quædam similitudo. Etenim notio entis, in se una, dicitur de rebus simpliciter diversis (209), que tamen inter se aliquam habent relationem aut proportionem. Haec diversi habent idem nomen, *ens*; habent cumdem *conceptum*, nam semper concipiuntur ut id quod habet aliquam realitatem. Verumtamen huius conceptus *rationes diversæ* entitatis respondent; ens finitum dicitur ens a propria entitate, et non ab entitate entis infiniti; accidens dicitur ens a propria entitate, non ab entitate substantiae, etc. Igitur *vocis* et *conceptus* entis respondent diversæ rationes entitatis, nempe diverse realitates.

Ergo notio entis est analoga, analogia attributionis.

271. — *Corollaria. I.* In analogia entis si spectatur realitas quæ nomini et conceptui respondet, non autem ipsum nomen, analogum principis est ens infinitum, secundarium autem, entia finita, quæ ab ente infinito habent ut sint; realiter se habet si agitur de nomine.

II. Rejecimus opinionem Giorbetti, qui contendebat nomen *ens* soli Deo tribui posse.

272. — *Scholium.* Rationes objectivæ diverse uno conceptu *indeterminato* exprimi possunt, licet conceptus *determinatus* diversarum entitatum sint necessariò diversi. Igitur quando rationes entium diverse indeterminatè et confuse, nempe prout sunt aliquid a nihil distinctum, concipiuntur, in uno entis conceptu convenienti.

II. De nihilo.

273. — Ens potest negatione attingi; porro negatio in eo consistit ut removeat quod attingit (64). Sed negatio potest attingere ens universum sumptum; hanc puram entis negationem *nihilum* vocamus. Nihilum ergo nullo modo per se intelligi potest, sed dumtaxat per respectum ad ens, quod removet, siquidem per negationem qua dignum, tollit quidquid habebat rationem entitatis, seu intelligibilitatis positiva.

Nihilum dividì solet in *positivum* et *negativum*: dicitur positivum quum removet ens sumptum pro eo quod existit, seu pro existente: dicitur negativum quando ens removet sumptum pro eo quod habet realitatem.

III. De divisione entis in communis.

274. — Ens in communis dividì solet in *ens reale* et *ens rationis*. Ens *reale* est illud quod intelligitur ut realitas aliqua quæ extra mentem existit, aut salem existere potest. Ens *rationis* illud est quod a ratione concipiatur ad modum entis, cum tamen in se entitatibus non habeat, v. gr.: *tenebrae*, aut *cœcitas*. Ens *rationis* non est idem ac *ens logicum*, quod est denominatio extrinseca ab operationibus petitia per quas aliquid dicitur praedicatum, subjectum, definitio, genus, species, etc.: ens *logicum* vocari solent secundæ intentiones objective.

Hic ultimus modus intelligendi, licet nihil reale exhibeat, nullam tamen involvit falsitatem; nam per hos conceptus non affirmamus esse res quæ non sunt, sed tantum de illis quæ non sunt, cogitamus ad modum eorum quæ sunt.

Ens *reale* dispescitur in *actuale* et *possibile*. Dicitur *actuale*, quando concipiatur ut *actu existentiam* habens: dicitur *possible*, quando consideratur in quantum existentiam *habere potest*. De aliis divisionibus suo loco agemus.

Entia rationis etiam varia sunt. Dicuntur entia rationis 1º esse combinationes idealium quæ aliquid impossible exhibent; v. g., circulus quadratus; 2º negationes et privationes quæ per modum entis positivi apprehenduntur; v. gr. cœcitas; 3º relationes quæ vel ex toto, vel ex parte finguntur ab intellectu; v. gr. *relatio entis cum semetipso*.

Dicuntur *entia*, quia aliquam analogiam habent cum ente reali: cogitantur ad modum entis realis. Dicuntur *entia rationis*, quia quidquid habent, a sola ratione mutantur,

ARTICULUS II.

De essentia.

I. De conceptu essentiae.

275. — In ente potest considerari id quo ens constituitur in propria natura; et illud constitutivum entis dicitur *essentia* (1), que prout est id quo conceperit ut primum et radicale, ac intimum principium omnium que enti convenient. Definiri solet: *Id quo res est id quo est*. Tamen an inadvertendum est hic nota, agi de definitione propriè dicta; essentia enim, non secus ac ens, strictè definiari nequit, licet declarari possit.

Explanatio datae definitio. In qualibet re sunt 1^o quædam note sine quibus hæc res concepi nequit: v. gr. in conceptu hominis, notio *animalitatis et rationalitatis*; in conceptu trianguli, notio *angulorum*, numero trium; sunt etiam 2^o aliae note sine quibus intelligi potest quid res sit: v. g. in conceptu hominis notio coloris, figure, etc. Prime note ipsam essentiam rei constituant, quia sine ipsis hac res amplius non esset, neque ut talis concepi posset; secundæ note, quea ens ipsum non constituant, sed quodammodo perficiunt, dicuntur accidentia essentiae. Essentia ergo est complexus notarum constitutivarum, que rem ipsam, ut talem, constituant, et ideo *essentia* est id quo res constituitur id quod est.

Essentia a Scholasticis nuncupari solet *quidditas*, eo quia per eam responsum redditur interrogationi: *Quid res sit?*; hinc enim percontationi respondetur sive per *nomen rei proprium*, quod confuso notio esse respondeat, sive per *definitionem*, que distinctam essentiae notionem exhibet.

Ex dictis patet omnes essentiae definitiones, quea dari

(1) Essentia dicitur etiam 1^o *ratio* rei, quia ipsa est ratio ob quam res est id quod est, 2^o *forma*, quia forma, ut postea dicimus, est id quo res in propria specie constituitur.

solent, eodem recidere. Quando enim a quibusdam definitur: *id quod primum de ente concipitur*, aut ab aliis: *principium eorum omnium que enti necessariò insunt*, semper exhibetur essentia ut id quo res constituitur.

276. — Essentia est primum principium omnium enūs attributorum. Sed quando essentia speciatim consideratur ut principium activitatis, dicitur *natura*, que prout est aptitudo entis ad operandum. Igitur discrimen inter essentiam et naturam, in eo est quod essentia absolute denotat id quo ens constituitur, dum natura est essentia non absolutè spectata, sed relativè, nempe quatenus est fons actionum.

277. — Rerum essentia dividitur in physicam et metaphysicam. Dicitur *physica* quando essentialia rei constituta ad quæ attenduntur, sunt partes reales. Appellatur *metaphysica* et etiam *notionalis*, quando coalescit constitutivis rei metaphysica, seu partibus notionalibus, nempe generi et differentiæ (1).

Essentia metaphysica a physica non distinguitur nisi ex modo conceipiendi, nam utraque realiter essentiam representat, siquidem essentia metaphysica non est arbitraria. Essentia physica coalescit elementis physicis, que prout considerantur prout enti insunt, et in ipso sunt ab invicem distincta, i. e., absque mentis præcisione, dum essentia metaphysica per elementa notionalia determinatur, que ab invicem non distinguuntur nisi per mentis præcisionem, et possunt prædicari singillatim de toto ente, quod determinant. Sed prædicta sive physica sive notionalia semper essentiam realēm objecti exprimunt, ac prout essentia metaphysica non differt a physica quia esset tantum *intelligibilis*, dum altera sola esset *realis*, sed dumtaxat quod modum conceipiendi ens quod determinant, inter se differunt isto essentiæ.

(1) S. Thom. 1 p. 9. 115 a. 2.

II. — De essentiarum realium cognitione.

278. — THESIS I. *Essentia rerum naturalium non sunt nobis prorsis ignotæ, licet eas imperfectè admodum cognoscamus.*

Nota. Prima pars theses stabilitur contra errorem Lockii, qui putabat essentias notionales esse arbitrarías, incertas et prorsus nominales.

Probatur. Si essentiae rerum intelligibiles essent prorsus incerte, nullus rei notitiam immutabilem et certam habemus; res enim non sunt *inmutabiles* quod existentiam, sed tantummodo quod *essentiam*. Atqui aliquando notitiam rerum naturalium certam et immutabilem habemus, ut experientia constat. Etenim quosdam habemus conceptus qui simili sunt immutabilibus et certò repräsentant *physica rerum constitutio*nem. V. g. hominem cognoscimus ut constantem corpore organico et animo immateriali, vel ut animal ratione præditum; item, animal cognoscimus ut vivens sensu præditum. At istas definitiones competit omnibus individuis sub specie aut generi contentis, ac proinde exprimit id *quod est constitutio*nem ipsius esse eorum. Ergo rerum naturalium essentiae, quæ hisce conceptibus repräsentantur, non sunt nobis prorsus ignotæ.

Secunda pars: *Verumtamen nonnisi imperfectè multæ essentias cognoscimus.*

Probatur. Intellectus res naturales cognoscere nequit nisi sensibili perceptione juvetur. Atqui sensitiva cognitio non attingit nisi qualitates externas aut quosdam effectus, non autem ipsam essentiam. Ergo intellectus, qui essentiarum hujusmodi notitiam determinatam ope perceptio-num sensibilium acquirit, nonnisi per aliquam ratiocinationem ad earum cognitionem pertinet; quapropter imperfecte eas cognoscit.

279. — *Scholium.* 1º Intellectus *immediatus et intuitivus* non attingit *intimas* rerum naturalium essentias, nemp̄ completam et specificam essentiam; sed ad hoc eget diligenter experientia et ratiocinio. 2º Verumtamen immediatus eas percipit sub aliqua ratione universaliore et inde-

terminata, puta, sub *ratione entis, rei aut subjecti*, etc. Iḡitur nostra cognitio eorum quæ esse intimum rerum naturalium constituent non est intuitiva et a priori, sed arguativa et a posteriori; fit ope propriatum quas sensus referunt, et mediante ratiocinio.

Verum si non ageretur de essentia rerum naturalium, sed tantummodo de essentia rerum illarum quæ ab intellectu humano efformantur, aliter dicendum foret, ut per se patet; eorum constitutiva mens ignorare nequit.

III. De essentiarum intelligibiliū dotibus.

280. — THESIS II. *Essentiae intelligibiles rerum sunt in-divisibles.*

Probatur. Illud in presenti dicitur indivisible, ex quo nihil detrahi potest quin destruatur. Atque essentiae rerum non possunt minui nec augeri, quin permutant, seu quin res illæ in aliis immutentur. *Exemplum* ab Aristotele adhibitum: Quaternario si unitatem addas vel demas, alium numerum statim habebis, sed non amplius quaternarium. Ita si definitio animalis aliquam notam addas vel demas, non erit amplius essentia animalis: si demas notam sensibilitatis, habebis plantam; si addas notam rationalitatis, habebis hominem. Ergo rerum essentiae sunt indivisibilis.

281. — THESIS III. *Essentiae rerum sunt immutabiles et necessariae.*

Probatur. Essentia est id quo ens quodcumque constituitur id quod est (275): quanobrem si mutaretur, illud ens fieret quod non erat, seu aliud ens. Ergo si essentia aliquis rei esset mutabilis, illa res posset non esse id quod est, aut esse id quod non est, quod apertam involvit contradictionem. Ex: essentia quadrati variari nequit; latus aliquod non recipere vel amittere quominus desinat esse id quod est, seu quadratum, et fiat id quod non est, seu triangulum aut pentagonum. Hinc essentiae rerum sunt immutabiles, ac proinde necessarie.

282. — *Scholium.* Mutationes flunt in rerum natura, sed istae mutationes non afficiunt essentias. Essentiae singu-

lares alii succedunt quae existere cessant; sed id non importat mutationem essentiae communis, seu intelligibilis, de qua agitur; existentiae duntaxat mutantur.

283. — *THESES IV. Essentia rerum sunt eternæ.*

Nota. Agitur de statu intelligibilitatis, non vero de statu existentiae.

Probatur. Essentiae rerum solis constant constitutivis rei determinate. Atqui non aliquando coepit esse verum, sed semper verum fuit, ac necessario verum est, hanc rem determinatam constare his constitutivis et non aliis. Ex.: triangulum non aliquando coepit habere tria latera et tres angulos, sicut spiritus non aliquando coepit esse id quod a conditione materiali liberum est. Ergo essentiae rerum, in se et abstracte cogitate, prorsus praescindunt ab existentia et ideo ab omni ratione temporis, ac proinde sunt eternæ, sensu saltem negativo.

2^o Præterea essentiae rerum, cum praescindant ab existentia, praescindunt etiam ab omni ratione temporis, et alias ante omne tempus a Deo fuerunt cognitæ. Ergo sunt eternæ.

284. — *Corollarium.* Essentiae etiam dici possunt *indefinitæ*, non autem quod comprehensionem, sed quod extensionem: possunt enim de individuis indefinitæ praedicari.

ARTICULUS III.

De existentia et possibilitate.

285. — Ens generalissimè sumptum est id quod habet aliquam realitatem, (267). Sed id quod habet aliquam realitatem, aut illam habet actu, et tunc dicitur *ens in actu*, seu existens; aut illam habere potest, licet actu hanc non habeat, et tunc dicitur *ens in potentia*, seu possibile.

Ens possibile et ens existens in aliquo convenienter et in aliquo discrepant. Convenient quatenus propriè dicuntur entia: ens enim significat rem abstractione facta existentia vel non existentia. Opponuntur, quatenus ens in actu includit *existentiam*, dum ens in potentia hanc excludit, et est duntaxat in ordine intelligibili et metaphysico. Ens

existens, ut per se patet, est in ordine physico et in ordine metaphysico; actualitas enim necessario subaudit possibilitatem. In duobus paragraphis distinctis agemus de hac primordiali divisione entis realis.

§ I. De existentia notione.

286. — Existentiae notio est adeò simplex et clara, ut definiri simul nequeat et non debeat; quando igitur sequentibus modis describatur, ista definitiones nihil perspicuitatis conferunt conceptui existentiae: *actualis rei praesentia in ordine physico; ultima rei actualitas in linea entis; id quo res sistitur extra causas; actualitas essox*, etc.

Vox existentiae, juxta etymon, significat emersum rei ex alia re, id est, ex causa vel possibilitate; sed prout communiter sumitur, abstracta ab hac significacione.

287. — Controversia fuit inter Scholasticos utrum existentia ab essentia realiter necne distinguatur.

1^o Prima sententia, que existimatur opinio sancti Thomae, atque generatim propugnatur a Thomistis, presertim veteribus, affirmat existentiam esse rem quandam seu modalitatem distinctam omnino realiter in creaturis ab entitate essentiae (1). Sed dum probant hanc sententiam, id plerumque intelligunt de *essentia generatio sumpta*, non autem speciem de essentia reali et physica, ac proinde probatio extra statum questionis evagatur. Sunt tamen quidam Thomistæ, recentiores presertim, qui probationes instituunt de discrimine inter essentiam realem ac physicam et existentiam (2).

2^o Secunda sententia, que Scoti tributur atque a nonnullis ejus scholæ propugnatur (3), affirmat existentiam creatam differre *formaliter* ab essentia cuius est esse, non autem esse entitatem realiter distinctam ab entitate essentiae, sed duntaxat modum ejus. Hec sententia fundatur in aliqua Scotistarum distinctione quam refellimus, ac proinde à hac sententia nihil dicendum in presenti.

3^o Tertia opinio, quam tenet Suarez, post Alexandrum

(1) Goudin, *Metaphys.* q. I. a. 3.

(2) Liberatore, *Metaphys.* gen., c. I a., 3.

(3) Vide Frassen, *Metaphys.* disp. II, cap. II. s. 3, q. 2.

Halensem et plures Scotistas, affirmat essentiam esse existentiam alicujus creature ratione tantum distinguui (1). Veritatem hujus sententiae propugnamus in thesi sequenti.

288. — *Thesis. Essentia actualis et producta non re sed ratione tantum differt ab existentia.*

Nota. 1º Non agitur de *conceptibus* essentiae et existentiae, qui certe sunt distincti; nam de essentia rei cogitare possumus quin ad ejus existentiam attendamus.

2º Essentia *abstracta* realiter distinguitur ab existentia actuali, necon essentia existens ab essentia abstracta.

3º Agitur de entitate essentiae realis et productae respectu existentiae entis, quod hanc essentiam realem habet; et in hoc sensu thesim probabimus.

Probatur 1^a pars. Cum essentia extra causas suas et extra mentis conceptum constituitur, *actu est*. Atqui actu esse et existere idem sonat. Ergo essentia realis non est aliud ac existentia, ac proinde non re, sed ratione tantum, ab ipsa distinguitur.

Ad *majoris* intelligentiam animadvertendum est essentiam, de qua agitur, esse aliquid in ordine physico, seu realitatem physicam extra causas sistentem; eatenus enim differt ab essentia abstracta et possibili quatenus est aliquid in ordine physico, dum essentia possibilis est nihil in ordine physico.

Atqui, ut diximus in *minore*, actu esse et existere idem est. Etenim existentie nomine nihil aliud intelligitur, in rebus creatis, nisi id per quod istae res create desinunt esse nihil in ordine physico, seu non *continetur amplius in solo ordine ideali*. Porro haec omnia convenient entitati essentiae realis. Ergo essentia realis non re distinguitur ab existentia.

2^a pars. Nihilominus ratione distinguitur cum fundamento in re, nam 1^o conceptus essentiae non est idem ac conceptus existentiae; deinde 2^o contingenta que est de ratione ejusmodi existentiae, suppediat fundamentum distinctionis. Ergo.

289. — *Schol.* Sententia Thomistarum adstruitur pre-

sertim ex eo quod essentia realis et existentia quoddam compositum efformant in quo essentia se haberet ut potentia physica ad esse actuale recipiendum, dum existentia esset actus quo haec potentia completeretur.

Sed hoc argumentum non cogit. Etenim illud compositum non potest esse nisi metaphysicum; nam essentia non potest concepi in potentia quoniam concipiatur ut *ideals*, siquidem essentia realis ab ideali distinguitur ut ens in actu ab ente in potentia. Ergo.

§ II. De ente possibili.

I. Quid ei quotuplex sit possibilitas?

290. — Quod existit, existendi capax erat antequam existet. Prout concepit aliquid ut existendi capax, sed nondum existens, dicitur *possibile*; possibilitas igitur idem est atque *aptitudo ad existendum*; id enim quod non est et esse potest, possibile parum dicitur.

291. — Possibilitas est duplex, scilicet 1º *intrinseca* seu *formalis aut absoluta*, 2º *extrinseca* seu *causalis aut relativa*.

Possibilitas *intrinseca* est aptitudo ad existendum orta ex eo quod rei constitutiva repugnantiam ad invicem non habent: v. gr., possibilitas picture. Dicitur etiam possibilitas *metaphysica*, vel *logica*: possibile enim logicum est iste specialis modus compositionis cuius termini non includunt contradictionem.

Possibilitas *extrinseca* est aptitudo ad existendum procedens ex virtute cause que idonea sit ad rem producendam: v. gr., possibilitas picture ab artifice; dicitur etiam possibilitas *physica*: possibile enim physicum latius sumptum est id omne quod potest esse terminus alicujus potentiae productive quando formaliter consideratur in ordine ad hanc potentiam. Possibilitati physice aliquando opponitur moralis que, præter efficaciam cause, dicit aliquando propensionem ad agendum.

Dicitur moralis quia rei possibilis effectio conformis est consueto modo agendi cause, seu communibus agentium moribus.

Possibilitas que utrumque complectitur, seu intrinsecam et extrinsecam dicitur *adæquata*.

(1) Suarez, *Disp. metaphys.* t. II, disp. xxxi.

Possibilitas intrinseca est absoluta, dum possibilitas extrinseca relativa est ad vires cause; hinc id quod respectu unius cause foret impossible, respectu alterius, possibile esset. In ordine ad Deum omnia que intrinsecè sunt possibilia, extrinsecam habent possibiliterem.

II. De impossibilitate.

292. — Id quod opponitur possibilati est impossibilitas: impossibile igitur est *id quod ad existentiam devenerit nequit*.

Quando impossibile aliiquid dicitur eò quòd in suis constitutis contradictionem continet, ut triangulum quadratum, est impossibilitas *intrinseca*. Impossibilitas erit *extrinseca* quando aliiquid ad existentiam devenerit nequit ob defectum virtutis ex parte cause. V. g. actio simultanea ejusdem hominis in locis longè dissitis, aut efformatio aliquius rei ex nihilo ex parte causa create; hec impossibilitas etiam dicitur *physica*.

Impossibilitas *moralis* nuncupetur quando, illud quod dicitur impossible, præ circumstantiis, ab homine fieri non solet, ac proinde ejus effectio repugnat communibus hominum moribus, *licet absolute ab homine perfici possit*.

Ad impossibilitatem moralam ritè intelligendam, plura sunt animadverienda: 1^o Actio, que dicitur moraliter impossibilis, non exsuperat vires physicas hominis. Verum tamen 2^o pondus difficultatis est tale quod adjuncta, quod non compensetur a bona actionem consequente. Quando ergo bonum est valde exiguum, et difficultas est omnino magna, tum verò actio dicitur moraliter impossibilis, qualiter tunc communiter homines agere non solet.

Cum difficultas sit major aut minor respectu diversorum hominum, et præterea cum bonum quod ex actione conqueretur, possit esse maius aut minus in existimatione agentis, it quid impossibilitas moralis non possit semper facile determinari.

III. De inde possibilium.

293. — THESIS I. *Possibile est aliiquid.*

Probatur. Nihilum purum est id quod existentiam acquirere non potest, ac proinde numquam *aliiquid* est. Atqui pos-

sibile existentiam acquirere et *aliiquid physici* esse potest. Ergo non est nihilum. Est aliiquid, non physicum, sed ideale, nimirum in intellectu existens formaliter.

294. — THESIS II. *Possibilia aeterna sunt.*

Probatur. Possibilia, qua realitatem habent in intellectu tantum, sunt aeterna si intellectus aeternus sit, qui ea semper cognoverit. Atqui intellectus divinus possibilia semper cognovit. Ergo sunt aeterna.

Præterea possibilia, qua talis, a qualibet temporali determinatione prescindit, et exinde ordinem dicere potest ad omnia tempora, quæ proinde praetergreditur.

IV. De possibiliterem intrinsecam origine.

295. — THESIS III. *Interna rerum possibilitas nec 1^o a rebus in mundo existentibus pendet, nec 2^o ab intellectu nostro.*

Probatur prima pars. 1^o Aptitudo ad existendum est ante ipsum existentiam. Ergo impossibile est ut possibilis ab existentibus creatis pendaat.

2^o Possibilia, ut sic, sunt immutabilia, universalia, aeterna. Atqui res in mundo existentes sunt mutabiles, singulares, temporaneæ. Ergo nisi aeternum pendaat a temporaneo, immutabile a mutabili, etc., possibilia penderent nequeant a rebus in mundo existentibus.

Probatur secunda pars. Si possibilia penderent ab intellectu nostro, possemus pro libito mutare relationes idearum, possibile reddere id quod antea erat intrinsecè impossibile et vice versa: v. gr., circulus, ad nostrum libitum esset quadratus vel rotundus. Atqui evidens est id fieri non posse. Ergo possibilia non pendent ab intellectu nostro.

296. — THESIS IV. *Interna rerum possibilitas non pendet a potentia divina, ut putaverunt Ocham et quidam Scholastici.*

Probatur. Si haec opinio esset vera, possibile diceretur id quod a Deo effici potest, et impossibile id quod a Deo effici nequit. Atqui id importat limitationem divinae poten-

tie; nam haec potentia sine ulla objectiva ratione, sed respectu sui, ad illa se extendere non posset. Ergo haec sententia divinam inficiatur omnipotentiam, que ad omnia se extendere per se non valeret.

297. — THESIS V. *Interna rerum possibilias non pendent a divina voluntate, ut Cartesius adstruxit.*

Probatur. Nihil volitum quia præcognitum, ut fert effatum schola. Atqui si interna possibilias penderet a divina voluntate, possibilia essent volta priusquam cognita : esse enim a voluntate accipiunt; porro in tantum sunt objectum cognitionis in quantum sunt.

Deinde intellectus divinus penderet a voluntate quadam rerum cognitionem : cognitioni enim praesupponit objectum, quod in data hypothesis a sola voluntate determinaretur. Ergo impossibile est ut interna rerum possibilias pendent a voluntate divina.

Præterea in opinione Cartesiana, Deus pro libito effere posset ut amplius non repugnet *ens non esse* aut *Deum non esse*, ac proinde semetipsum annihilare quiret.

298. — THESIS VI. *Intrinsicæ possibilias et impossibilias ex ipsis rerum essentialiis emergit.*

Probatur. Possibilitatem determinamus ex sociabilitate idearum, et impossibilitatem ex earum repugnantia. Atqui idee congruæ vel discrepant quia entitates, quas representant, sunt id quod sunt, et convenient aut se excludent. Ergo entitates, quæcumque sunt id quod sunt seu essentiae, sunt fons possibilitas.

299. — THESIS VII. *Omnis possibilium intelligibilitas a divina essentia dependet, quatenus divini intellectus objectum est.*

Aninadetur dñm 1º. Essentiam divinam esse *imitabilem* pluribus modis, qui essentias possibilis constituant. Dñm intellectus divinus hos modos initiationis cognoscit, efformat archetypes rerum ideas.

Hinc 2º « Omnia possibilis, ut ait Lessius, continentur in essentia divina, tanquam in originali radice, et quasi

in exemplari virtuali et radicali; in sapientia, tanquam in exemplari formali, in quo etiam existunt objectivo modo perfectissimo et illustrissimo (1). »

Hac premissa explicatione, probatur thesis.

Essentia divina perfectissima est, ac proinde omnis possibilis essentia perfectionem praecontinere debet. Atqui Deus cum seipsum perfectè cognoscat, debet cognoscere omnes modos secundum quos ipsius essentia est imitabilis, seu essentias rerum finitarum. Ergo 1º iste essentia, tanquam sui *fundamentum*, habent essentiam divinam, et 2º *actualitatem* logicam eternam in divino intellectu obtinent : itaque *intelligibilitatem* ex divina essentia, prout in se est et intellectui divino objicitur, accipiunt.

Hæc omnia in Theologia fusius tractantur.

CAPUT II.

DE AFFECTIONIBUS COMMUNIBUS ENTIS IN COMMUNI.

300. — Ens quibusdam proprietatis fruiter, quae in duos ordines distribui solent, scilicet 1º in proprietates *incomplezas et simplices*, unico scilicet vocabulo expressas atque omni prorsus enti singulae convenientes; 2º in *complexas seu compositas*, que omni entis singulae non convenient. De prioribus in praesens agitur.

Proprietates incomplexe, seu communes entis affectiones, aut passiones, per se ac propriæ enti, ut sic, convenire debent, non ita tamen ut ex rei natura ab ipso distinguantur. In re sunt ipsum ens, sed sub diverso respectu a ratione perspectum.

At licet iste communes affectiones realiter ab ente non distinguantur, quodammodo tamen ab illo distinguiri debent, secūs non essent ejus proprietates. Sunt numero tres: unitas, veritas et bonitas. De his tribus in totidem articulis agemus.

Sed oppositorum eadem est scientia, ut fert quidam scholæ aphorismus, cuius veritas inde patet quod unum ex

(1) De Perfectionibus Moribusque divinis, lib. V, cap. ii, § 10.

oppositis alterius negationem simpliciter importat; porro mensura negationis est ipsa positio, et exinde contrariorum communis quedam est norma: de oppositis igitur simul eloqui fas est et expedit.

Hinc agemus in primo articulo, de unitate et multitudine; in secundo, de veritate et falsitate; in tertio, de bonitate et malo.

ARTICULUS I.

De unitate et multitudine.

301. — Unum definitur: *Quod est indivisum in se.* Statim enim ea ens dividitur, unius entis conceptus tollitur, eique succedit notio *multitudinis*. Si vero unitas sit carentia divisionis, nequit esse aliquid ab ente distinctum. Unitas igitur enti nihil positivi addit, sed duntaxat negationis divisionis denotat.

302. — Triplices communiter a metaphysicis statuuntur unitas, scilicet: *transcendentialis, individualis, et formalis.*

Prima est ipsa rei entitas a qua omne ens habet quod sit individuum in se; et hae unitas competit omni enti, ac propiore ad omnes species unitatis se extendit.

Secunda est qua individuum est intrinseco indivisum in plura inferiora, seu multis, tanquam inferioribus, non est communicatum: hinc omni et soli naturae individuali congruit.

Tertia est indivisio essentiae in se considerata, nempe in plures essentias.

Ad unitatem formalem reduci potest unitas *universalis* seu rationis, que competit naturae praecise a singularibus, et per modum unius ad ea comparante. Dicitur unitas, *rationis*, quia extra mentem, scilicet in rebus, non inventitur.

§ I. De unitate transcendentali.

I. De unitate.

303. — Unitas transcendentalis diversos habet gradus, pro ratione qua ens divisionem a se removet:

1º Est unitas perfectissima, seu *indivisibilitas*, qua fruuntur entia, que nec actu divisa sunt, nec dividi possunt, ut *omnia entia simplicia*.

2º Unitas *compositionis*, que prodit ex eo quod plura inter se aliquo modo diversa a natura habent ut sint unum; v. g. corpus partibus coalescens. Subdividitur in *hypostaticam, physicam et moralem*, prout illud unum quod resultat ex partibus diversis, est *persona, natura vel quidam ordo*. Pro ratione qua partes ad invicem ordinantur subdividetur etiam in *naturalem, artificialem et aggregationis*:

1º Unitas quae constat ex elementis quae a natura habent ut sint unum, qualia sunt materia et forma, dicitur *naturalis*.

2º Unitas *artificialis* constans ex iis quae non a natura sed ab arte habent ut sint unum; v. g. domus, horologium, etc.

3º Unitas *aggregationis*, que oritur ex eo quod plura, non a natura, neque ab arte, sed a casu habent ut sint unum, quia scilicet contigua sunt; v. g. lapidum acervus. Est ergo unitas per accidens.

Unitas *artificialis* est etiam unitas per accidens, seu secundum aliquid accidens, dum unitas indivisibilitatis et compositionis facit ens unum *per se*, seu secundum ipsum esse quod est et dicitur unum.

II. De multitudine et numero.

304. — Unitati opponitur multitudine, que habetur quando divisio in ente concipiatur. Hinc potest definiri: *Entitum divisio.* Ergo ad multitudinem constituendam sufficit aliqua divisio, que unum in plura ita resolvat, ut quolibet eorum non sit aliud, licet haec plura possint inter se aliquo nexu conjungi; v. g. membra corporis. Eadem igitur res potest esse secundum aliquam rationem una, secundum alias, multa: v. g. essentia rei est una, licet partes essentiales et integrales sint plures.

305. — Cum mens multitudinem percipit et in unum colligit, concepit *numerum*, qui est *collectio unitatum*. Idea numeri ergo constat: 1º unitate, 2º divisione, 3º si multitudine. Quando similitudo est determinata, v. g. duo

homines, numerus est *concretus*; quando est indeterminata, seu ex notione transcendentia repetitur, numerus dicitur *abstractus*, v. g. duo.

Unitas mathematica, quae est unitas ut elementum numeri, conceptui unitatis addit quod sit unitas in *genere quantitatis*.

§ II. De unitate individuali.

306. — Unitas individualis opponitur universalis, et individuum affect, quod multis, tanquam inferioribus, non est communicabile.

Individualum definitur: *Id quod in plura talia, quale ipsum est, dividii nequit.*

307. — Querunt Scholastici quodnam sit principium individuationis, seu quid sit id quo individus similis naturae inter se realiter distinguuntur, vel etiam, aliis verbis, unde sumatur unitas individualis?

1^a *Sententia.* Juxta S. Thomam ejusque scholam, principium individuationis est materia *signata*, seu materia quatenus est quantitate affecta, aut saltem habitudinem dicit ad quantitatem (1). Hinc Angelii, qui non sunt entia materialia, tot sunt species quod individua.

1^b *Sententia.* Juxta Suarez, illud principium non stat in materia signata, sed in ipsa *realitate* nature individuae (2). *Ratio:* Illud principium non potest esse aliquid distinctum ab ipsa natura individuali, secum natura esset singularis et individuali, antequam illud huic accedat. Atqui si fundamentum non est aliquid extrinsecum naturae, debet esse aliquid illi intrinsecum, seu ipsa realitas naturae individuae. Ergo... Qui fusiorem de hac re disputationem vult, audeat Suarez: *Met.*, v, sect. III, iv et v.)

§ III. De unitate formali.

308. — Unitas hæc quæ competit essentiis, ut sic, bifariam dividi potest. Prout sumitur ut divisio essentia realis, nomen genericum unitatis *formalis* retinet. Prout

(1) S. Thom. multis in locis, et speciation in opusculo: *de principio individuationis.*

(2) Suarez, *Metaphys.*, disp. v.

concipiatur ut affectio essentiae intelligibilis, seu competit essentiae a singularibus præcise, dicitur *universalis*, aut etiam *unitas rationis*, quia haec unitas non est *realis*, id est quod naturæ universales non sunt extra mentem comprehendentes.

309. — Quæri potest utrum unitas formalis, que non est *universalis*, sed *realis*, re aut ratione tantum distinguatur ab individuali?

1^a *Realiter non distinguuntur istæ unitates. Probatur.* Essentia realis hanc non habet unitatem nisi in individuali. Atqui unitas individualis stat in realitate naturæ individuae (307). Ergo impossibile est ut unitas formalis sit realitas distincta ab unitate individuali.

2^a *Ratione tamen distinguuntur*, siquidem unitas formalis potest conceptus abstractione facta unitatis individualis. Ergo...

ARTICULUS II.

De veritate et falsitate ontologica.

§ I. De veritate.

310. — Veritas generatim sumpta communitor definitur: *adæquatio intellectus et rei*, uti jam diximus in Logice (151), dum locuti sumus de veracitate intellectus nostri. Hac definitio non est mutanda cum agitur de *veritate rerum*; nam sicut intellectus dicitur verus per comparationem ad res, ita res dicuntur vera per comparationem ad intellectum.

Verum per se primo competit intellectui a quo derivatur ad res; unde res ipsa non potest dici vera nisi per analogiam aliquam cum ipso intellectu. Hinc conceptus adæquatus veritatis rerum haec duo importat: 1^o Realitatem seu entitatem rerum, 2^o Ordinem ad intellectum, ac proinde describi potest veritas hæc: *Ipsa rerum entitas prout dicit ordinem conformitatis ad intellectum.* Est ergo ipsa cognoscibilitas objectorum.

Veritas hæc a veteribus *transcendentialis* dicebatur, quia ratio entis, ac proinde ipsa entis habitudo ad intellectum, transcendit omnes categorias; a recentioribus *metaphysica* appellatur. Ex altera parte quatenus cognoscibilitas non

est formaliter, sed tantum fundamentaliter, adaequatio rei et intellectus, hec veritas dicitur *fundamentalis*, ad dis-
crimen veritatis logicae, seu qua est in actu intelligendi :
haec enim dicitur etiam veritas *formalis*.

Quando speciatim consideratur relatio conformitatis,
potest haec referri sive ad intellectum practicum seu ad
intellectum opificis, sive ad intellectum speculativum seu
creatum.

311. — THESIS I. PER SE ET ABSOLUTÆ res naturales verae
sunt per ordinem ad intellectum divinum.

Probatur. Res naturales *primario vere* sunt per compari-
torem ad intellectum artificis a quo constitutuuntur id
quod sunt. 1º Sunt *vere*, nam si opus conceptui artificis
seu typo dispar esset, jam deficeret adaequatio rei et con-
ceptus, seu veritas. 2º Sunt *primario vere*, nam haec compari-
tio est essentialis, ac proinde omnino primaria. Atqui iste intellectus artificis, cui referuntur res naturales, tan-
quam ad typum agentis, est intellectus divinus. Ergo res
per se et absolutè dicuntur verae per respectum ad intel-
lectum divinum, seu ad archetypas ideas ad quarum exem-
plar condita sunt.

312. — THESIS II. Res naturales verae etiam dicuntur per
ordinem ad intellectum creatum, sed secundarii et per
accidentes.

Probatur 1^a pars. Veritas formaliter spectata importat
aliquam conformitatem ad intellectum. Atqui hujusmodi
adequatio locum habere potest cum intellectu creato.
Ergo...

Probatur 2^a pars. Sed hic ordo rei verae ad intellectum
creatum est *secundarius*, nam res verae non constitutuuntur
per respectum ad intellectum creatum (311). Vera etiam
denominantur *per accidentes* cum ideis nostris adaequantur,
nam veritatem habent, non quia ideis nostris adaequantur,
sed quia sunt conformes ideis aternis.

313. — COROLLARIUM I. Res creare comparantur ad in-
tellectum divinum ut mensuratum ad mensuratum. Etenim
intellectus divinus est intellectus practicus qui res ipsas
causat; sed mensuratio rerum est tantum in hoc intellectu

a quo sunt. Res nihil aliud sunt quam externa representa-
tio idearum archetyparum.

Idem dicendum est de rebus arte factis respectu cuius-
libet artificis; conceptus artificis est norma sui operis.

Sed est hoc discrimen inter supremum artificem et arti-
ficem creatum, quod supremus artifex nunquam in suo
actu eformandi opus potest defecere ab ideis quibus effi-
cientia dirigitur, dum artifex creatus aliquam virtute
caret adaequatio suum opus conceptui seu typo.

314. — COROLLARIUM II. Res naturales comparantur ad
intellectum creatum ut mensura ad mensuratum. Intel-
lectus enim creatus est mere *speculatorius* respectu rerum
naturalium, ac prouide catenus est verus quatenus eas
cognoscit ut sunt in se; res illae igitur mensurant hunc
intellectum.

315. — SCHOL. Querunt Scholastici quomodo veritas
transcendentia se habeat ad ens, cuius est affectio aut
proprietas (300). Verior simul et planior sententia ea est
qua docet veritatem addere enti relationem conformitatis
ad intellectum. Hujus sententiae ratio satis effloret ex
definitione. Verum igitur ab ente differt per solamen
mentis considerationem (300).

§ II. De falsitate.

316. — Cum veritas sit adaequatio rei et intellectus,
falsitas, que veritati opponitur, describi debet: *disformi-
tas rei ab intellectu*.

Ex hoc conceptu falsitatis patet 1º Res *absolutæ* dici
falsas per respectum ad intellectum artificis, a quo depen-
dent; sed hoc modo res naturales nunquam sunt falsa (311, 313), et ideo falsitas in rebus nihil est. Cum agitur
etiam de artifice creato, si res ab hujus artificis idea esset
difformis, diceretur opus malum, deforme, incongruum,
potius quam falsum.

Patet 2º Res *falsas* nonnisi *per accidens et secundum
quid* dici respectu intellectus a quo non dependent (312, 34),
quatenus scilicet speciem externam aliarum rerum praebent,
et sic, viam parant falso iudicio: v.g. falsum aurum,
falsus amicus. Sunt falsa *secundum quid*, scilicet secun-
dum *id quod non sunt*, ut ait S. Thomas; unde *falsus*

Hector est verus Tragædus, ut dicitur in 2o Solilog. Hinc ut false dicantur, requiratur, ut judicentur aut saltem judicari possint, esse id quod non sunt; sic aurichaleum verum dicitur *aurum falsum*, quia propter apparentiam externam falso reputatur aurum.

ARTICULUS III.

De bonitate et malo.

§ I. De bonitate.

317. — Ultima proprietas simplex, quæ enti attribuitur, est bonitas, que definiri potest: *id quod est convenientias alium, nempe quod est conforme propensioni, capacitiati;* a Scholasticis *bonum* communiter definitur: *ens ipsum, prout dicit ordinem conformitatis ad voluntatem, praecipue divinam.*

Hec conformitas fundatur in ipsa entitate rei, ac prindens ens in tantum nominatur bonum in quantum est appetibile (1).

Quamobrem *fundamentaliter*, bonum idem est ac ens, seu bonitas re non distinguitur ab entis realitate; sed *formaliter*, conceptus bonitatis distinguitur a conceptu entis, quatenus huic addit rationem convenientiam vel per-

fectionem.

Bonitas est nomen abstractum cui respondet nomen concretum *bonum*, quod etiam et brevius, definiri potest: *id quod omnia appetunt.* Bonum est appetitus objectum.

318. — Bonum dividit solet: 1. In bonum verum et bonum apparenſ. *Verum* dicitur bonum quod tale est quale existimatur; *apparenſ* vero quod est tantum in existimatione, non autem in re.

11. Dividitur in illud quod in se bonum est, seu bonum absolutum, et in illud quod est alteri bonum, seu bonum respectivum aut relativum.

(1) Quidam reponunt rationem formalem boni in *perfectione*, alii in *appetibilitate*, et utrumque dicit S. Thomas. Possunt conciliari iste sententiae: nam ratio formalis boni non consistit in perfectione, ut constitutiva entis, sed ut convenientia appetitui, et illius perfectiva.

Bonum *absolutum* illud est quod *per se* dignum est amore. V. g. Bonus Deus. Bonum *relativum* est bonum respectu alterius tantum.

Bonitas absoluta est ipsa perfectio entis in se, unde per se appetitur: bonitas respectiva nominat respectum convenientiae entis cum aliqua re: hinc non propter se, sed propter finem appetitur. V. g. sanitas.

111. Dividitur in honestum, utile et delectabile.

1º Bonum *honestum* illud est quod enti congruit ratione sui, non ratione delectationis et solius utilitatis. Latè sumptum, bonum illud est quidquid per se naturam entis perfect, et dicitur *bonum nature*. Pressius sumptum, est id quod rationali nature perfectionem ipsi propriam conferit, et tunc idem est ac bonum morale. V. g. virtus. Est aliquod bonum absolutum.

2º Bonum *delectabile* illud est quod alicui convenit propter delectationem quam ipsi affert, uti deambulatio. Est aliquod bonum relativum.

3º Bonum *utile* illud est quod enti convenit, non ratione sui, neque ratione delectationis, sed ratione alterius boni quod per illud obtiniri potest. V. g. pecunia.

319. — THESIS I. *Omne ens est bonum, tum secundum se, tum alteri.*

1º Est bonum *secundum se*, quia omne ens carere nequit hac perfectione essentiali qua sit tali ens. Atqui quilibet perfectio est appetibilis adeoque bona. Ergo haec essentialis perfectio qua ens actu est, hujus entis bonitatem secundum se constituit.

2º Est etiam *bonum alteri*, quia quilibet bonitas potest semper aliquid conferre ad alterius entis perfectionem, usum, etc. Ergo.

320. THESIS II. *Bonum est diffusivum sui.*

Probatur. Quod bonum est, appetibile est, et movere valit appetitum, quatenus pro illo rationem finis habere potest. Atqui id quod appetitur, ut finis, reddit media que ad hunc finem assequendum idonea sunt, *amabilia et appetibilia*. Ergo bonum in alias res rationem boni diffundit, ac proinde est sui diffusivum.

§ II. De malo.

I. Quid et quotuplex est malum?

321. — Bono opponitur malum tanquam illius privatio seu carentia; quoicunque potest definiri: *carentia perfectionis convenientis et debita*. Malum non est simplex negatio boni, neque aliqua realitas positiva. Simplex enim negotio nullam supponit in subiecto opposite perfectionis exigentiam. Verutamen non est aliqua realitas, nam omnis realitas, qua talis, est aliquod bonum (319).

322. — Malum qua tale, non est appetibile; cum opponatur bono, rationem finis ex se habere nequit. Verutamen malum appetitur *per accidens*, quatenus res quedam bona exquiritur, in qua malum est: v. g. lucrum injustum.

323. — 1º Malum dividitur in *physicum* et *mora*lum, prout est privatio boni *naturalis* vel *moralis*: v. g. carentia sanitatis, vite, integratissimorum aut facultatum, est malum *physicum*. Deficiencia actionis liberae a morum regula est malum *mora*le.

Huic divisioni membrum tertium addidit Leibnitzius, nempe malum *metaphysicum* quod est *carentia interioris perfectionis*. Sed defectus iste altioris perfectionis malum dici nequit, nam est mera negatio perfectionis indebita (321).

2º Malum dividitur in *absolutum* et *relativum*, quae a S. Thoma appellantur malum *simpliciter* et malum *secundum quid*. Primum est privatio boni debiti, et opponitur bonitati absolute (318, II^o); secundum est aliquid in se bonum, sed alteri detrimentum inferens; v. g. justitia judicis.

3º Dividitur in *malum culpae* et *malum pene*: Primum importat inordinationem in actione vel omissione libera voluntatis, ac proinde coincidit cum malo morali: alterum est privatio boni ob culpam inflicta; v. g. privatio libertatis santi irrogata.

II. De origine mali.

324. — Quoad originem mali et oppositionem quae existit inter bonum et malum, adverte: 1º malum, vel esse malum subiecto in quo est, vel esse malum alteri;

2º Bonum et malum considerari posse *materialiter*, nempe secundum res ipsas quae bona vel mala sunt, aut *formaliter*, scilicet secundum ipsas rationes boni et mali.

Bonum et malum formaliter considerata, in subiecto opponuntur *privacite*.

325. THESIS I. *Malum non est nisi in subiecto bono*.

Probatur. Malum est privatio boni. Atqui privatio perfectionis debite nequit esse nisi in aliquo ente, quod (317, 319) carentia est bonum quatenus est ens. Ergo malum non potest esse nisi in ente bono tanquam in subiecto.

326. — THESIS II. *Bonum est causa efficiens mali*.

Probatur. Malum est privatio perfectionis debite. Atqui perfectio debita a subiecto, cui naturaliter debetur, removeri nequit nisi per contrarium actionem. Ergo cum actio non nisi ab ente, quod convertitur cum bono, fieri potest, malum a bono duntaxat tanquam a causa, origine ducit.

327. — THESIS III. *Bonum, non per se, sed per accidens est causa mali*.

Nota. Per se fieri dicitur quod ex virtute et intentione agentis fit; per *accidens*, quod vel non fit ex virtute agentis, vel fit praeter ejus intentionem.

Probatur 1º *Ex eo quod non fit ex virtute agentis, et hoc duplice ratione*.

1º Efficientia cause producit aliquid quod est ens.

Atqui omne ens est bonum. Ergo malum, quod est quedam privatio, seu non est aliquid, non venit ex *efficientia* cause, sed ex ejus *debititate*, ac proinde fit per *accidens*.

2º Malum efficitur vel in ipsa actione cause vel in ejus effectu. Porro defectus in *actione* non provenit ex efficientia, nam efficientia, ut sic, *aliquid efficit*: defectus in cause *effectu* venit vel ex *imperfectione* actionis vel ex deformitate materie. Ergo malum semper provenit per *accidens*.

Probatur 2º *Ex eo quod non fit ex intentione agentis*.

Quod provenit praeter intentionem agentis non est effec-

tus per se, sed per accidens. Atqui defectus aut privatio non potest esse id quod intendit agens. Ergo malum fit per accidens.

328. — *Scholium.* Hæc argumenta vim etiam obtinent quando agitur de causis liberis. 1º Quum enim causa libera legi morum se subicie detrectat, et actionem in honestam facit, tunc causa efficiens hujus actionis, seu voluntas, non agit quantum potest et debet, ac prouidè in actione deficit. Porro deficere a suo actu normali contingit per accidens. Ergo...

2º Præterea causa libera, dum actionem pravam perpetrare vult, directè non intendit ipsam *deordinationem* actionis, seu *deficientiam* a lege; haec deficientia per se appeti nequit. Ergo agens liberum *directè* vult ipsam actionem, que est aliquid seu ens, et *indirectè* tantum, seu per accidens, vult deformitatem hanc quo actionem committatur. Ergo...

APPENDIX AD CAPUT II^{AM}.

DE ORDINE, PULCHRITUDINE ET SUBLIMI.

329. Ordo et pulchritudo quedam sunt rationes communibus entis perfectibus valde affines, et ea de causa ipsius eas adjungemus. De hisce rationibus circumscripè disseremus, nam plena earum tractatio aliquam constituet philosophiam artium; ceterum setet nostra discussio legum pulchri quedam constitut scienciam particularem, que *Æsthetica* nuncupatur.

I. De ordine.

330. — Ordo definitur a S. Augustino: *Parium disparsumque sua enique loci tribuens dispositio*, seu ut communiter etiam definitur, *dispositio plurium ad unum aliqd officiendum*. Hinc ad ordinem requiritur:

1º *Quodam multitudo*, nam res una, quatenus una est, ordinari non potest. Et haec multitudo est ipsa *materia* ordinis, que constat rebus, e quibus rite aptis ipse ordo confatur.

2º *Quodam unitas*: ordinata enim dieuntur ea que se-

eundam aliquam rationem communem vel invicem succedunt, vel simul coexistunt, ad eundem finem obtinendum.

3º *Quodam partium dispositio* ad communem finem, nam locum rei proprium determinat relatio hujus rei ad ceteras quibuscum comparanda est intuitu unitatis.

En *forma* ordinis qua apta plurium ad finem dispositio continetur.

4º *Finis communis* omnium partium, qui est ratio sufficiens ordinis et regula qua ipse ordo astinatur.

331. — Ordo dividitur 1º ex parte materia in *staticum* et *dynamicum* prout agitur de ordinatione rerum aut motuum; 2º ratione formæ in *universalem* et *particularē*, prout spectatur in omnibus simul partibus totum aliquod constituentibus, vel in singulis scorsim; 3º ratione relationis in *verum* et *apparentem*, prout fundatur in veris rationibus aut fictis.

Præterea ordo dicitur *chronologicus*, quando fundatur in relationibus temporis; *moralis* et *socialis*, quando fundatur in relationibus iurium et officiorum cum fine individuali ac sociali.

II. De pulchritudine.

332. — « Pulchrum et bonum, ait S. Thomas, in subiecto quidem sunt idem, quia super eandem rem fundatur, scilicet super formam, et propter hoc bonum laudatur vel pulchrum: sed ratione differunt. Nam bonum propriè respecti appetitum. Pulchrum autem respecti vim cognoscitam: pulchra enim dicuntur que visa placeat. Unde pulchrum in debita proportione consistit. (1) » Sic pulchrum a posteriori definitur ex effectu, nempe quatenus delectat vim apprehensionis sensibilem et intellectualem. Differt tamen a vero, quia verum apprehensum affirmatur, dum pulchrum apprehensum placet. Itaque.

1º Si delectat tantum sensum visus et auditus, est pulchrum insimile rationis;

2º Si per sensum visus et auditus, vel per imaginatio-nem pertinet ad vim intellectivam, est altioris gradus. Utrumque tamen non est nisi in sensibilibus.

Denique 3º si pulchritudo esset in mere intelligibiliibus

[1] *Summa theol.*, I p., q. v. a. 4 ad. 4.

et intellectualibus, esset altioris rationis quam pulchritudo sensilis, licet analogia.

Sed res non sunt pulchrae quia delectant, sed e contra delectant, quia pulchrae sunt. Itaque inquirenda est *intrinseca ratio pulchri*:

Pulchritudo ergo a Platone et S. Augustino strictius definitur: *unitas in multitudine et varietate*. Ex hac definitione reali et propria patet pulchritudinem includere ordinem, cui tamen aliquid addit. Ordo enim multitudinem importat, dum ad pulchritudinem requiritur *multorum varietas*. Hinc reductio multorum ad unitatem, varietate servata, est ipsa pulchritudinis essentia.

333. — Pulchritudo disposes potest 1^o in *idealem*, quæ typicam quamdam perfectionem exhibet, cui aliquid conformati debet ut sit pulchrum; v. g. exemplar ad imitationem propositum, et in *realem*, quæ ad objectum aliquid in se spectum pertinet.

2^o Dividitur in *physicam*, *intellectualēm* et *moralēm*. Dicitur *physica*, quando hec varia, ad unitatem reducta, sunt ordinis physici et materialis; v. g. vir corpore excellens. Pulchritudo dicitur *intellectualēm*, quando res, ad unum reducta, sunt purè intelligibiles; v. g. pulchritudo libri, aut quando plurim varietate gaudientium unitas est merè logica, ut in operibus artium que imitatione continentur. Denique pulchritudo dicitur *moralis*, quando unitas resultat ex consensione actuum liberorum cum leges morali, præserfim quoque huic conformitati aliquid obstat: v. g. pulchritudo virtutis.

334. — Pulchrum, ut diximus, respicit vim cognoscitivam, que in homine est ordinis vel sensilis vel intellectualis; itaque pulchrum quod ordinem dicit ad facultates sive sensiles sive intellectuales, magis placet, ceteris paribus, saltem *homini* secundum vires mere naturales operanti, quam illud quod esset merè intellectualis aut mere sensibile. Facultas enim *aesthetica*, ut aiunt, que etiam *gustus* appellari solet, est complexus omnium facultatum cognoscitivarum, non autem aliqua particularis a ceteris distincta.

III. De sublimi.

334 bis. — Sublime in eo stat ut aliquid exhibeat intuitus facultatem longè excedens, ac proinde respectu illius a quo consideratur, quasi vestigium infiniti pra se fert. Id enim sublime a nobis dicitur quod stuporem ingenerat, quia vim et aciem nostrarum facultatum prætergreditur: animum, quem rapit, repente percolit ob magnitudinem quam illi exhibet.

Differit a pulchro, nam 1^o ab uniformitate non abhorret, et exinde varietatem non expulstat; limites dumtaxat repellere debet: capacitatem cognoscitivam exsuperat neesse est. Verumtamen non opus est ut mens ratiocinando ad objectum sublime ex integrō cognoscendum devirene nequeat; sufficit ut intuitionem actualēm excedat. Praeterea 2^o pulchritudo ordinem requirit, dum sublime illum non exposcit; inīd aliquando ex perturbatione augescit, atque etiam in ipsa consistit perturbatione: v. g. tempestas atrox nonnunquam spectaculum sublime dicitur. 3^o Ordo cognitus aliquam dignitatem temperat admiracionem, dum sublimis dignitatem stuporem, ac excessu suo facultatem sibi submittit.

CAPUT III.

DE SUPREMIS ENTIUM GENERIBUS SEU DE CATEGORIIS.

335. — Jam in Logica locuti sumus de categoriis seu de predicamentis, prout secundis intentionibus subsunt; nuna autem considerari debent prout sunt entia. Objectum enim categoriarum sunt res omnes quatenus secundis intentionibus affecta ab invicem secernenda et a ratione ordinanda sunt. Speculatio igitur predicatione-rum simul pertinet ad Logicam et ad Metaphysicam. Categoriae considerari possunt:

1^o Pra objecto suo, nempe prout sunt entia: categoriae enim ipsum ens exhibent pluribus diversisque modis determinatum; et sub hoc respectu in Metaphysica perlustrantur, siquidem principium a quo promanant, est *ens*

in quantum ens, et quidem *actuale*, nam ad categorias revocantur notiones rerum que in natura sunt, et prout acta sunt in natura.

2º Attendi possunt præ illo quod habent a ratione, seu in quantum aliqua proprietas ab intellectu causata, eis attribuuntur, nempe quatenus sunt series naturalis generum, specierum et individuorum, atque praedicari aut subjici possunt : sub hoc respectu spectata, praedicamenta ad Logican pertinent. Veteres communiter in Logica tractabant de categoriis.

336. — Licet arbitrarius aliquo sensu dici possit categoriarum numerus, aptè tamen ab Aristotele decem assignantur. I. Est *arbitrarius*, quia hoc series rerum variè ordinari potest. Etenim 1º si omnia entia alicui supremo generi subordinantur, *ens* erit unicum praedicamentum omnium entium. 2º Si ordinantur res usque ad *certum gradum*, qui sit tantum illis communis, licet super hunc gradum detur alias generalior, qui sit communis iam ipsis quam aliis rebus, tot statui possunt categoriae quo fieri poterunt tales rerum ordinationes : ens enim per categorias dividitur tanquam per diversos modos essendi.

II. Apertissime tamen in *decem dividuntur* ab Aristotele, nam hec divisio est completa et omnes aspectus complectitur, sub quibus ens generativum inspectum considerari potest (45).

327. — Verumtamen non est cur in has decem categorias singillatim rimandas hic incumbamus, nam ad rem nostram non omnes aliquid faciunt. Eas igitur solum slegimus quae sunt metaphysicæ scitu utilles, easique distribuimus pro ratione analogie vel oppositionis quam habent inter se. Hinc in primo articulo agemus de substantia et accidente; in secundo, de quantitate, qualitate, et habita; et in tertio, de relatione.

ARTICULUS I.

De substantia et accidente.

I. De conceptu substantiae et accidentis.

338. — Ens adequate dividitur in substantiam et accidentem, si per accidentem intelligatur quidquid affect vel modi-

fcat alterum. Etenim quodlibet ens vel per se constat, seu est per se stans, et tunc dicitur *substantia*, aut non stat per se, sed in *alio*, cui inheret, quod quoniam ita sit, dicitur *accidentes*. Ex : Si consideres hominem album, homo tibi exhibit substantiam, et albus, accidentem, quod inheret huic substantie.

Strictè loquendo substantia definiri potest : *Ens per se stans, seu non indigena alia re cui inheret tanquam subjecto.*

Accidentes est *ens alteri inherens, seu indigena subjecto cui insit.*

Substantia concipiatur tanquam aliiquid permanens, dum accidentes tanquam aliiquid successivum, seu transiens, habetur.

339. — Experientia sive interna, sive externa, nobis dat conceptum accidentis et substantiae. Dùm res omnes consideramus, videmus esse aliiquid quod mutationes sibi perpetuo succedentes recipit, et esse aliiquid quod in his mutationibus accedit vel recedit. Id quod recipit mutationes, stat per se, seu est substantia : v. g. cera, quæ formas diversas recipit. Id quod his mutationibus accedit vel recedit est accidentis : v. g. innumeræ istæ forme quæ successivè recipit.

340. — Substantia et accidentes non univocè, sed analogicè convenienti in ratione entis (209, 270), nam conceptus entis substantiae et accidenti est communis; sed ratio hoc conceptu expressa non est eadem.

Hunc articulum in tres distribuimus paragraphos : In 1º agemus speciatim de substantia, in 2º, de supposito et persona, quæ sunt nonnullæ species substantiarum; denique in 3º, de accidente.

§ I. De substantia.

341. — *THESIS. I. Conceptus substantiae non est arbitrarius et merum mentis figuratum.*

Nota. — Haec thesis contra Lockii errorem propinatur (278).

Probatur. Conceptus qui habet fundamentum in re concepta, non potest dici arbitrarius et merum mentis

figmentum. Atqui ejusmodi est conceptus substantiae : etenim, ut modo diximus, experientia ipsa sive interna sive externa clarè manifestat substantiam non esse idem ac accidens. Ergo haec substantia notio quae ex ipsis rerum naturis deponitur, atque sponte exurgit ex ipsa experientia, nequit dici arbitraria et figmentum mentis.

342. — *Scholium.* Cognoscimus quidem quid sit substantia universim sumptu et per oppositionem ad accidens; verumtamen saepius non cognoscimus quid *intrinsecè* constitutus determinatas substantias.

Sensus percipiunt externas affectiones, non abstractas, sed *concretas*, unde aliquo modo substantiam ipsam attingunt : iste enim affectiones percipiunt prout sunt *in re*, et *ex iisdem* intellectus non intelligit primò affectionem a substantia abstractam, sed *per modum usus* accidens in substantia. Notiones formales substantiae et accidentis comparatione et deductione postea acquiruntur.

343. — *De divisione substantiarum.*

Substantia ab Aristotele dividitur :

I. In primam et secundam, id est, in singularem et communem. Substantia *prima* seu singularis ea est quae *de subiecto aliquo non dicitur*, neque *in subiecto aliquo est*. Substantia *secunda* seu communis ea est que *ne sit in subiecto, dicitur tamen de subiecto*. Ex. *Homo* est substantia secunda; hic homo, seu *Petrus*, est substantia prima.

Hinc differunt 1º quia prima est incommunicabilis pluribus (314) : *Petrus* non dicitur de *Paulo*, *Joanne*... ; secunda, non ita : *homo* dicitur de *Paulo*, *Joanne*. 2º Illa non predicator de altera substantia : haec vero sic. 3º Illi tantum competit primò substare accidentibus ; huic vero, secundariis et ratione primae cui inexsistit ; *homo* est albus, quia *Petrus vel Paulus...* est albus.

II. Substantia dividitur in simplicem et compostam. Datur *simplex*, si partibus physicis non constat, neque in partes physicas resolvi potest; secus erit *composita*.

III. Dividi potest substantia sive simplex sive composita in completam et incompletam : *Completa* ea est que ex se non ordinatur ad compositum substantiale constituentem : v. gr., *homo, angelus, arbor...*, etc. Est *incompleta* ea

quae ex se ordinatur ad tale compositum : v. gr., *corpus hominis, animus humanus, etc.* Substantiae singulares seu primae que sunt complete, nempe rationem partis aut complementi non habent, dicuntur *supposita*, greco nomine *hypostases*. De his speciatiam agemus in sequenti paragraphe.

§ II. De supposito et persona.

I. De conceptu suppositi et personae.

344. — Suppositum definiri potest : *substantia singularis qua per se integrum quoddam est atque completum*, quae proinde nec alterius pars est, neque ut pars spectari potest, nec communicatur pluribus realiter distinctis.

Persona a supposito distinguitur quatenus suppositum de qualibet natura dicitur, dum persona est suppositum naturae *rationalis* tantum; quamobrem est substantia singularis qua ratione potest, quæque per se integrum quoddam est atque completum.

Modus sic consistendi in se, ex quo fit ut substantia singularis sit tota in se, seu evadat alteri incommunicabilis, subsistente nominatur. Subsistente propriè significat ultimum terminum naturæ substantialis. Si sumatur abstracte, significat rationem subsistendi, seu est formalis ratio incommunicabilitatis sub qua intelligitur substantiam esse hypostasim; si autem concretè, rem ipsum substantem significat. Igitur suppositum aut persona concepi debet ut resultans ex substantiali natura et subsistente.

Adhibita methodo divisionis seu instituta analysi corum quibus nomen hypostasis convenit, facile videbimus ad rationem propriam subsistentie tria requiri : 1º ut sit substantia *singularis et integræ*; 2º ut non sit ad modum partis, sicuti, v. gr., anima in homine, sed substantia *tota*; 3º ut non sit communis, seu identificata cum pluribus inter se realiter distinctis, ut v. gr., essentia divina, sed tota in se.

345. — Haec definitiones illis revera congruent quas tradidit Boëtius : « Suppositum est naturæ completa individualia substantia... » et, « persona est rationalis naturæ individua substantia. » Verumtamen ut haec definitiones

ab his quas tradidimus, non discrepent, rite intelligi debent voces *individua substantia*: Nam significare non debent simpliciter substantiam physicè unam (secus animus humanus, corpus, etc., dicentur hypostases), sed subsuantiam completam, qua in so tota sit ea completa. *Individua ergo*, in hac definitione, non modo dicit substantiam singularē, ut opponitur universalī, *integrā*, ut opponitur parti, *totam* ut opponitur forme in aliquo composite, verum etiam substantiam totam *in se*, seu realiter incomunicabilem. *Substantia* ponitur ut genus in definitione, et per adjectiōnem vocis *individua*, genus determinatur ad substantiam *primam* tantummodo significandam.

Hinc falsa est definitio a Günthero tradita, quam incute accepit aliqui theologi: « Persona est *substantia sui conscientiæ* »: actualis sui conscientiæ, juxta hanc definitionem esset forma persona seu *personalitas*. Sequeretur quod in Trinitate esset una persona, et in Verbo incarnato duplex hypostasis.

346. — THESIS. *Suppositum est maximè per se.*

Prob. Nam 1º non est in alio ut in subjecto, quod est accidentis; 2º non praedicatur etiam de subjecto, quod est substantia secundæ et non primæ; tandem 3º non est in alio ut in toto, secus rationem partis habetur. Ergo suppositum, quatenus non est pars, sed totum, est sui juris, seu non est res alterius.

Est id quod agit, quia esse ei convenit primò ac per se. Inde dimanat axioma: *Actiones sunt suppositorum*, quia suppositum est principium *quod agit*, nec *per naturam* agat, que proinde est principium *quo actiones flunt*.

347. — *Corollarium I.* Quidquid rationem partis habet, dici nequit suppositum aut persona. *Ex.* : *Anima et corpus* dei non possunt supposita, saltem in statu unionis, quia habent ut partes hominis.

348. — *Corollarium II.* Si fieret divisio alienus substantiae ita ut partes nullam relationem servarent sive ad invicem, sive ad aliquod totum, constituerent quoddam integrum, nempe supposita. « Separatio, ut ait S. Thomas, dat utrique partium totalitatem » (i. e. *supposititudinem*). Item, per oppositionem, duo supposita, sola conjunctione

facta, cessant duo esse supposita, sed unum constituant: v. g. duo palacrae fusiles quae mescuntur.

349. — *Scholium.* In mysterio sanctissime incarnationis, ad personam infinitæ perfectionis accedit finita substantia. Hoc finita a substantia, hoc ipso quod fit natura persona infinita, suppositum non est, quia non habet rationem totius in se. Sed persona Verbi divini, qua nullus pacto poterat per hanc accessionem, suam personalitatem in unitate has amittere, minore vel augere non potuit: nunquam enim potest concepi ut habeat rationem rei *perficiendæ*. Hinc persona Verbi naturam assumptam ad suam trahere debuit personalitatem. Peracta igitur assumptione, unicus est persona, nimirum persons assumptis, et exinde unus haec dicitur hypostatica.

Principium *quod* (346) agit est hinc unica Verbi hypostasis, dum principium quo actions sunt, est duplex, scilicet natura divina et natura humana. Hinc in Christo duo sunt genera operationum, quia sunt duas nature, dum in sanctissima Trinitate una est operatio externa *triū personarū*, quia una est natura.

II. De Distinctione inter naturam et personalitatem.

350. — Querunt Scholastici utrum personalitas vel substantia ad natum naturæ existenti in *creatis* aliquam novam realitatem?

— Varia sententia circa hanc questionem:

I. Heretici omnino distinctionem reciebant inter naturam et hypostasim, etiam cum augebatur de Verbo incarnato, et exinde affirmabant tot esse hypostases quot sunt nature. Hinc unica natura in Christo, ut volebant Eutychiani, aut duæ personæ, ut asserebant Nestoriani.

II. Apud catholicos, qui admittunt aliquam distinctionem, plures tamen sunt opiniones:

Iº Prima opinio, quam communiter tenent Thomistæ et Scotistæ, affirmat substantiam in creatis dicere aliud quid a natura singulari realiter distinctum et separabile.

2º Juxta plurimos alios theologos, substantia vel personalitas a natura singulari non distinguuntur, nisi secundum diversum modum concepiendi; sed loquuntur tantummodo de substantia singulari, quae sit hypostasis ex naturalibus suis principiis, non de ea quo esset assumpta *naturaliter* ad hypostasim superioris ordinis, seu de natura humana Christi respectu Verbi divini.

351. — Præterea auctores, qui primam tenent senten-

tiam, querunt utrum haec subsistentia vel personalitas sit aliquid positivum vel negativum; et circa hoc punctum denud scinduntur scholae:

1º Thomistae sibi magis congruentes, communiter tenent subsistentiam non posse dici realiter distinctam a natura singulari, quia sit aliquid *positivum* huius superadditum.

2º Scotiste fore omnes affirmant *suppositualitatem*, ut dicunt, non concepi ad modum rei positiva seu per affirmationem, sed strictius per solam *negationem* unionis naturae singularis cum ente nobiliore: persona ergo sola negatione *communicabilitatem* formaliter constitueretur. Non negant hypostasim aliquo positivo constitui, quod redderet naturam singularem *incommunicabilem*; sed tantum affirmant esse quid negatione expressum.

352. — THESIS. *In aliqua natura subsistente, persona et natura, non re sed ratione tantum, seu conceptu mentis, differunt; alii verbis, personalitas naturae existenti aliquam novam realitatem non addit, sed solammodo quedam statum, ac modum existendi.*

Nota. 1º Non querimus de substantia, ut est universalis, sed de substantia singulari quae est hypostasis, utrum *is* ea illud quo ipsa formaliter est hypostasis, sit res distincta ab ipsa, quatenus est substantia.

2º Loquimur de substantia que sit hypostasis ex naturis suis principiis.

3º Agitur de subsistentia seu personalitate, ut sie, non autem de accidentibus que singulis insunt; siquidem persona cum accidentibus est certo plus quiddam quam simplex natura; sed accidentia non magis pertinent ad rationem personae quam ad rationem naturae singularis. His distinctionibus diluntur omnes rationes sententiae opposite.

Thesis duplificem complectitur partem:

Pars 1º. Natura singularis et persona non realiter in creatura distinguuntur.

Probatur. Distinctio realis necessariò expostulat ut sit in uno termino aliqua realitas que in altero deficit, seu accessum alicuius realitatis exquirit. Atqui natura singularis sine accessu alicuius realitatis fit persona. Ergo inter naturam singularem et personam non est discrimen reale.

Major per se patet: *solum conceptum distinctionis realis exhibet, ut postea videbimus.*

Probatur minor. Natura singularis dicitur suppositum aut persona quando est per se quoddam integrum et compleatum, nempe quando se possidet *seu est sui juris et alteri incommunicabilis*. Atqui natura singularis eo ipso se possidet, quod non ab alio possidetur. Debet esso in se seu sui juris si non est in altero seu res alterius, nempe ideo se possidet, *seu est aliquod totum, quia non est pars alterius nec alteri inest*. Ergo sine accessu nove realitatis formaliter constituit in ratione persone, nempe fit sui juris.

Pars 2º. Verumtamen admittenda est distinctio rationis ratiocinalis inter naturam et personam.

Probatur. Alius est conceptus quo exhibetur substantia, quin determinetur utrum sit tota et per se, an pars et in alio; et aliud est conceptus quo exhibetur substantia ut terminata et completa, sui juris et incommunicabilis: et res ipsa supeditat fundamentum iustis distinctionis. Atqui conceptus diversi distinctionem rationis constitut, ut infra melius patebit. Ergo discrimen virtuale saltem existit inter naturam singularem et personam.

§ III. De accidentibus speciatim.

353. — *Accidens* est ab *accido*, quia jam supponit rem, cui accidit sive accedit. Dividi solet in ontologicum et logicum: 1º *Accidens ontologicum*, ut jam ante, diximus, (338) est *ens quod in alio est tanquam in subjecto*, seu id quod in re vere inest. *Accidens* est in *subjecto*, non tanquam eius pars, siquidem a *subjecto* separatum naturaliter existere nequit, sed ei *adharet*. Verumtamen accidens est *ens et res*, quia non est nihilum, sed realitas determinata quae actu existit; sed est *ens quod habet esse in alio*, et exinde definitur per substantiam: *est ens entis*, ut dixit Aristoteles.

Accidens ontologicum dicitur *physicum*, quando intrinsecus afficit *subjectum*, v. g. facultates, habitus, actus..., itaque in hoc *subjecto* est quidquid non est de rei substantia. Dicitur *denominatio extrinseca*, quando extrinsecus tantum *subjectum* afficit aut ad illud refertur, v. g. qua-